

INSTITUTIONES  
THEOLOGICÆ

DE DEO UNO ET TRINO.

DISPUTATIO I.

DE EXISTENTIA, ESSENTIA ET ATTRIBUTIS DIVINIS.

CAPUT I.

DE DEI EXISTENTIA.

ARTICULUS I.

AN DEUM EXISTERE POSSIT INVINCIBILITER IGNORARI.

1. *Nota.* Certum est, Deum ut auctorem *gratiæ* nonnisi ex divina revelatione nobis immotescere; quare duntaxat quæritur de Deo ut auctore *naturæ*, secundum prædicata causæ universi, gubernatoris ejusdem, legislatoris, vindicis aut præmiatoris, quæ naturaliter cognosci possunt. Ignorantia proprie talis, hoc est, carentia notitiæ de existentia Dei in homine adulto et rationis compote, ratione sui præcise, alia dicitur *positiva*, sive cum errore positivo, scilicet negatione hujus existentia conjuncta; alia *privativa*, sive ignorantia quidem proprie talis, absque eo tamen errore: ratione subjecti et potentia alia est *invincibilis*, quando de Deo nequit haberi notitia; sive quia homo nihil omnino cogitat de Deo, ac proinde nihil etiam de inquirenda hac notitia aut ejus obligatione cogitat, sive quia eam inquirere aut invenire non potest; alia *vincibilis*, quæ per oppositam notitiam vinci potest, præsertim accedente cognitione obligationis sciendi aut inquirendi eam notitiam. Cum vero de notitia Dei omnibus præcepta loquamur, facile colligi potest priorem esse sine culpa, posteriorem autem culpabilem.

2. *Dico I.* Non datur ignorantia Dei *positiva* invincibilis.

*Prob.* Ps. 13. 1. legitur: *Dixit insipiens in corde suo: non est Deus.* Sed si Deus posset invincibiliter ignorari positive, non foret insipiens, qui id in



corde diceret : quia nemo stultus est, qui negat quod adhibita omni diligentia cognoscere nequit; ergo. Hinc TERTUL. L. de Spect. c. 2. scribit : *Nemo negat, quia nemo ignorat quod ultro natura suggerit; Deum esse universitatis conditorem.* Et in Apol. c. 17. *Hæc est summa delicti nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt; ergo.*

*Conf. 1.* Moraliter est impossibile, ut quis habeat motivum probabile negandi existentiam Dei, quin multo fortius aut æquale saltem habeat, eandem affirmandi; ergo nequit invincibiliter ignorare Deum, cum in hoc dubio teneatur inquirere veritatem, per modum primi principii ad honeste vivendum requisitam. Huic autem obligationi, si satisfecerit, futilia et nulla detegentur argumenta, quibus existentia Dei impugnari potest : Sin minus, ignorantia non erit absque culpa, nec invincibilis.

*Conf. 2.* Motivum, quo quis ad negandum Deum induci posset, vel foret proprio studio excogitatum, vel aliena auctoritate persuasum : Sed neutro modo infertur ignorantia illa invincibilis : nam 1°. quidem si tanta valet perspicacia, ut rationes negandi Deum invenire queat, certe fortiores deprimere poterit ad existentiam Dei affirmandam; quod idem dicendum est, si rationes aliunde acceptas capere ac pervadere possit : 2°. autem privatae auctoritati contra communem omnium gentium consensum prudenter et inculpabiliter assensus dari nequit : 3°. denique nulla hactenus publica auctoritas contra Dei existentiam emicuit. Athei enim aut nulli reapse fuerunt, aut admodum pauci; et hi rursus aut insipientes aut improbissimi : iniquum autem est consentire paucis, stultis et scelestissimis; non sapientibus, honestis ac fere universis : adeoque nulla auctoritas publica invincibilem ignorantiam reddere potest.

3. *Dico II.* Nec ignorantia Dei *negativa* invincibilis datur, saltem per longum tempus.

*Prob. 1°.* SALOMON enarratis falsis numinibus ad ignorantiam idololatrarum culpæ convincendam, ex Sap. 13. 3. sic arguit : *Quorum specie delectati Deos putaverunt, sciant quanto his dominator eorum speciosior est : speciei enim generator hæc omnia constituit. Aut si virtutem et opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior est illis : a magnitudine enim speciei et creature cognoscibiliter poterit creator horum videri. Sed tamen adhuc in his minor est querela. Et hi enim fortasse errant, Deum querentes et volentes invenire. Etenim cum in operibus illius conversentur, inquirent : et persuasum habent, quoniam bona sunt, quæ videntur. Iterum autem nec his debet ignosci : si enim tantum potuerunt scire, ut possint æstimare seculum; quomodo hujus dominum non facilius invenerunt? — 2°. Qui ignorat Deum, est culpæ ac pænæ reus, ex Sap. 13. 10. *Infelices autem sunt et inter mortuos spes illorum est.* Ps. 78. 6. *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt, et in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt.* Ad Rom. 1. 18. *Revelatur ira Dei de cælo super omnem impietatem et injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent, quia, quod notum est DEI, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit... ita ut sint inexcusabiles;* ergo ignorantia illa invincibilis dici nequit. Eodem argumento usus est LACTANTIUS L. 1. divin. Instit. c. 2; reliqui vero Patres diserte Deum ignorari non posse enuntiant, quos alibi recitabimus.*

*Conf.* Moraliter fieri nequit, ut adultus rationis compos longo tempore nihil cogitet de Deo, et ad eum cognoscendum non moveatur; nam ex appetitu naturali ad beatitudinem, nullaque in bonis creatis quiete reperienda, propellitur ad *bonum* omni creatura melius: ex boni mali que conscientia deducitur ad *legislatorem* ac ens superius: ex consideratione sive sui ipsius sive hujus mundi provehitur ad *universi conditorem*; ita nempe, ut saltem cogitatio de illo bono vel superiore vel creatore ingeratur. Ejusmodi autem cogitatio sufficit, ut homo agnoscat obligationem ulterius inquirendi; cui si obsequatur animumque serio applicet, facile certitudinem de Dei existentia assequetur: aut si eam negligat, invincibiliter Deum non ignorabit. Dixi : *Saltem per longum tempus*; quia brevi aliquo tempore hominem, præsertim rudem, vivere sine notitia Dei, satis probabile videtur; tum quod nulla necessitate naturali statim debeant homini occurrere motiva, ex quibus judicare vel saltem dubitare debeat, esse Deum; tum quod homo, maxime rudis, post primum instans morale usus rationis, ita ad breve tempus potest distrahi ad negotia sensibilia, ut non statim species requisitas habeat ad formandum judicium Dei existentis illativum; quia licet varia possint occurrere motiva remota, opus tamen adhuc est longiore discursu.

4. *Obj. cont. I.* Notitia de Deo existente ad solam *fidem* pertinet; ergo ab iis quibus non est revelata, impune ignorari, quin et negari potest. *Conf. 1°.* Sap. 13. 1. et 2. dicitur de idololatrâ, quod *non potuerint intelligere eum, qui est.* Quin si potuissent intelligere, non apparet ratio, cur voluerint potius militiam cæli tanquam numina habere et colere. 2°. Puer a parentibus atheis, quorum dictis plurimum fidit, enutritus, videtur inculpabiliter etiam positive ignorare posse Deum; ergo.

R. N. A. S. AUG. L. 2. de lib. arb. c. 15. n. 39. *Est enim Deus, inquit, et vere summeque est: quod jam non solum indubitatum, quantum arbitror, fide retinemus, sed etiam certa, quamvis adhuc tenuissima, forma cognitionis attingimus.* D. THOMAS perfectissimam quidem et omnibus numeris absolutam Dei ut auctoris naturæ cognitionem haberi per fidem solam concedit, implicitam vero et confusam etiam ad fidem præambulam ex naturali lumine contendit.

*Ad Conf. 1<sup>am</sup>.* R. D. Idololatræ non potuerunt intelligere Deum, id est, noluerunt C. non potuerunt proprie et absolute N. Rationem, cur Gentiles, quantumvis de Divina existentia naturaliter persuasi, ad idololatriam deflexerint, reddit APOST. ad Rom. 1. 21. *Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: sed evanuerunt in cogitationibus suis et obscuratum est insipientis cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt; et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium.*

*Ad Conf. 2<sup>am</sup>.* R. N. Ass. Puer enim ejusmodi vel ex naturæ instinctu, vel ex conscientie lumine, vel ex creaturarum voce ad quamdam Dei cognitionem pertingere potest, quidquid sibi parentes aut præceptores in contrarium curent insinuare. Neque immunis a culpa erit propter domesticam illam instructionem; quibus cum non fideret negantibus ea, quæ oculis conspiciuntur vel lumini naturali sunt obvia, neque dicentibus, *non est Deus*, aures

præbere debet. Inde vero etiam *disparitas* patet, cur rudis ex vitio aut errore instructoris possit errare circa mysteria fidei ex revelatione tantum nota; non vero circa Dei existentiam.

5. *Obj. cont. II.* Brasiliæ populi, Indique quidam barbari interrogati num, ante Lusitanorum aliorumve adventum et prædicationem, notitiam de Deo habuissent, negarunt ullum sibi Numen fuisse cognitum; ergo datur Dei ignorantia, eaque videtur saltem apud aliquos fuisse invincibilis. *Conf.* Juxta S. Aug. tract. 106. in Joan. n. 4. in quibusdam potest haberi ignorantia Dei: *Exceptis enim paucis, in quibus natura nimium depravata est, universum genus humanum Deum mundi hujus fatetur auctorem*; ergo.

R. T. A. Quod universaliter verum non esse ostendit vita V. P. Josephi ANCHIETÆ; N. *Cons.* Vel enim Barbari illi, utpote genus hominum suspiciosum ac libertati suæ timens, veritatem hic, ut in aliis quæstionibus sæpe, Lusitanis celabant; vel quia cultus *publicus* ac communis non fuerat, sic respondebant; vel negabant tantum Deum a se fuisse agnitum sub ea ratione *explicita*, quæ ipsis proposita fuerat; vel suarum de Deo cogitationum aut dubiorum, ob vitæ suæ in voluptates ac barbariem declinationem, postea non *recordabantur*. Unde consequitur, vel non omnimodam, vel non invincibilem ignorantiam Dei fuisse. Præterea incredibile est, integram nationem ignorantia Dei invincibili laborare, cum vel ipse TULLIUS L. 1. de Leg. neget ullam gentem tam immansuetam et feram, quæ licet nesciat, qualem habere deceat, habendum tamen Deum ignoret. Si qui vero singulares homines reperti fuerint adeo hebetes ac plumbei, ut nec ad intimam sui conscientiam et ad clamorem omnium creaturarum advertere potuerint, infantibus potius aut fatuis adnumerandi sunt, quam ratione utentibus.

*Ad Conf.* R. D. A. Juxta S. Aug. in paucis saltem quibusdam potest haberi ignorantia Dei omnino et sub quocumque prædicato cum Deo convertibili N. sub prædicato auctoris vel creatoris universi *subd.* invincibiliter ac diu N. vincibiliter vel non diu C. Depravatio naturæ illis voluntaria est, noluntque lumen, ut non cogantur videre turpitudinem suam. Quippe cogitatio de supremo Numine ad honestatem spectat, quin et fundamentum ac radix honestatis est.

6. *Obj. cont. III.* Jobi 36. v. 23. *Omnes homines vident Deum*; et ad Rom. 1. illis adeo manifesta est Dei existentia, *ut sint inexcusabiles*; ergo ne quidem ad *breve tempus* datur Dei ignorantia invincibilis. *Conf.* 1°. Pertinet ad divinam providentiam in primo usu rationis instanti excitare aliquam cognitionem ultimi finis, ad quem homo est creatus; ergo nec ad breve tempus datur Dei ignorantia inculpabilis. 2°. Homo rudis et negotiis distractus nihilominus debet concipi utens ratione; adeoque agere moraliter honeste vel inhoneste: ergo debet implicite saltem cognoscere Deum sub ratione legislatoris et regulæ morum, ne, si agat inhoneste, peccatum *pure philosophicum* emergat.

R. *ad Ant.* D. 1<sup>am</sup>. p. Omnes homines vident Deum facile C. statim ac in primo rationis usu N. Similiter D. 2<sup>am</sup> p. Adeo manifesta est statim et a principio usus rationis etiam in hominibus distractis N. intra tempus ali-

quod, quo homo perfecte utitur ratione, adeo manifesta fit ac est, ut sint inexcusabiles C.

*Ad Conf.* 1<sup>am</sup>. N. A. Quia, licet ad providentiam divinam spectet, concurrere ad ultimi finis cognitionem tempore opportuno; non tamen necessario excitare per motus subitaneos.

*Ad 2<sup>am</sup>.* D. A. Ejusmodi homo debet concipi ratione utens plene deliberate ac sufficienter ad actum moralem N. minus deliberate, aliquatenus impedita, et ad actum moralem non sufficienter C. Supponimus equidem ejusmodi hominem nec infantem nec fatuum; sed cum proxima dispositione, qua sicut in negotiis, quibus distrahitur, inferioribus bene ratiocinatur, ita etiam, si de Deo cogitatio incidat, possit recte ratiocinari et inferre Deum: nihilominus quia qualiscumque rationis usus non est sufficiens ad actum moralem constituendum, ut in hominibus negotio quodam aut attentione aliunde distractis, aut etiam in infante jam adolescente ac in facilioribus propter finem agente, compertum est; ex conformitate doctrinæ alibi jam propositæ, homini ad breve tempus ignorantiam Deum non damus usum rationis plene perfectum, de quo argumentum allatum recte concludit.

## ARTICULUS II.

## AN DEUM EXISTERE SIT PER SE NOTUM.

7. *Nota.* Præter supernaturalem viam, alteram fidei divinæ, alteram visionis intuitivæ, Dei existentia certo cognosci potest: 1°. immediate et sine discursu quocumque; 2°. mediate per discursum demonstrativum; 3°. mediate per testimonium gentium ac nationum aliquod Numen agnoscentium. Postremus hic modus non nisi morale ex auctoritate argumentum conficit, de quo *Metaphysica* pertractat.

Nobis discutiendum 1°. an Existentia Dei sit veritas *per se*, ex sola terminorum significatione, manifesta; 2°. an ea demonstrari possit.

8. *Dico.* Deum existere non est *per se*, seu immediate ac sine ullo medio naturaliter manifestum.

*Prób.* Perceptis et penetratis solis his terminis: *Deus existit*, intellectus noster sine alio medio ad illius assensum non determinatur: 1. in illis, qui vel de Dei existentia dubitarunt, vel eam præfracte negarunt; 2. in Christianis Philosophis ac Theologis, quorum plurimi ac doctissimi inferunt, ante omnem discursum dubitari posse, an Deus essentialiter existat.

*Conf.* Scriptura supponere videtur, Deum per se nobis non esse notum, cum ad Rom. 1. 20. tradit Dei invisibilia cognosci per effectus; prima hujus termini, *Deus*, cogitatio non ipsam existentiam, sed aliam quamdam rationem confusam nobis proponit, ex qua modo per discursum deducitur, existentiam esse de ratione formali Dei: quin, etsi etiam Dei cogitatio prima ostenderet immediate existentiam, tamen, nisi jam aliunde constet, Deum esse in rerum natura, non ostendit existentiam *realem et physicam*; unde hæc propositio, *Deus est*, per se quoad nos nota est solum in hypothesi quod sit.

9. *Obj. 1.* Singulis hominibus indita est ab universorum auctore ingenita atque anticipata idea sui, seu suae existentiae: nam Ps. 4. 7. dicitur signatum esse super nos lumen vultus divini; Joan. 1. 9. lucem veram illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum; ad Rom. 2. 14. legem scriptam in cordibus gentium omnium. Sed illud lumen, ea lux ac lex juxta SS. Patres est ingenita cuilibet idea ac notitia supremi numinis; ergo Deum existere, per se notum est. *Conf.* JUSTIN. Apol. 2. dicit de Deo opinionem ac sententiam esse insitam a natura; TERTUL. L. de testim. animae c. 5. memoriam et cognitionem Dei vocat doctrinam naturae et congenitae et ingenitae conscientiae; EUSEB. L. 2. Praepar. Evang. c. 9. Eximium illud quod Dei nomen essentiamque significat, docet ipsius naturae ductu impressisque animo per sese notionibus, vel divinitus potius inspiratis, neminem non intelligere: ARNOB. L. 1. cont. Gent. c. 33. contendit, cuilibet ingenitum, affixum, immo ipsi pene in genitalibus matris impressum ac insitum esse Regem ac Dominum, cunctorum quaecumque sunt moderatorem. Idem praeter alios Patres ipsi etiam gentiles Philosophi docent; ergo.

R. Haec aliaque scripturarum testimonia exponenda esse sive de sola naturali intellectionis facultate, sive de primis quibusdam veritatis ac honestatis principiis, quae legem naturalem primariam componunt, patet ex ipsis PP. S. HIER. et ORIG. expositionibus, juxta quas etiam de Christo aliisque, sola fide nobis cognitio, naturaliter insita notitia perhibetur.

*Ad Conf. R.* Cognitio Dei potest naturaliter nobis insita dici: 1. immediate ac sine ullo facillimae etiam consequentiae inventu; formaliter item ac per speciem talem, quae una sui perceptione reddat veritatem cognitam: 2. mediate ac radicaliter, quando a natura instigamur ad ejus notitiam comparandam, et ab ipsa natura principium aliquod habemus illius, ex quo illam facillime inferimus. Hujus postremae meminit S. THOMAS, q. 10. de ver. a. 12. ad 1. *Omnibus naturaliter insitum est, unde* (id est, quo mediante) *possunt pervenire ad cognoscendum, Deum esse; quin et uterque GREG. ejusdem rudimenta posuit: Naz. orat. 28. n. 6. Quod Deus sit, ac princeps quaedam causa, quae res omnes procreavit ac conservet, tum oculi ipsi, tum lex naturalis docent; illi, dum rebus in aspectum cadentibus aciem affigunt... haec autem, dum per res oculis subjectas, ac recto ordine collocatas auctorem earum ratiocinando assequitur.* Et GREG. M. L. 27. Mor. c. 3. (al. 5.) *Eo ipso, quod homo est rationalis conditus, debet ex ratione colligere, eum, qui se condidit, Deum esse.* Jam vero cognitionem primo modo naturae insitam fatemur quidem efficere hanc propositionem, *Deus existit*, per se etiam nobis notam, sed dari eandem atque a Patribus asseri negamus: secundo autem modo a natura insertam de Dei existentia cum Patribus aliisque affirmamus; quia praeter notitiam ex parentum institutione et nobiscum agentium sermone haustam, tum ex innato beatitudinis appetitu, tum ex necessitate agendi honeste, tum ex nobis ipsis et magis ex universa natura creata Deum existere facillime inferimus: sed inficiamur ejus opera veritatem illius propositionis reddi ex sese ac terminis manifestam.

*Inst. 1.* In idea, qua communis hominum ratio Deum percipit, relucet quaecumque perfectio: sed haec debet esse congenita et naturae inspirata, nec potest esse comparata per sensus; tum quia parit in homine iudicium firmissimum; lex autem et regula firmissimi ac immutabilis iudicii extra

finitarum et corporearum rerum ordinem statui debet; tum quia idea sensibus comparata non est semper eadem in omnibus; ergo.

R. T. M. Quia haec idea certe non est prima, quam de Deo habemus, ac forsitan non in omnibus, praesertim polytheis N. *min.*

*Ad rat. 1<sup>am</sup>.* transmissa iterum ejus parte *prima, D. secundam*; Lex et regula iudicii firmissimi proxima ac immediata extra finitarum ac creaturarum rerum ordinem statuenda est N. remota, mediata ac prima seu ultimata C. sed N. *supp.* ad hanc sine ratiocinationis usu perveniri. Praeterea hoc argumentum ex officina Cartesiana depromptum, secundum quam pro primo demonstrationis ac veritatis cognoscendae principio existentia Dei requiritur, fallit in illo experimentalis atque ad cognitionem de Deo praevio ratiocinatio: cogito, ergo sum.

*Ad rat. 2<sup>am</sup>.* D. Idea sensibus comparata, quae est mere experimentalis, seu praecise capta ex sensibili objecti apparentia et organorum perceptione, non semper eadem est in omnibus C. Idea sensibus comparata, quae potius est rationalis, et ex manifesta constantique objecti habitudine ac recto rationis usu exprimitur N.

*Inst. 2. S. DAMASC. L. 1. de fide c. 4. Nemo, inquit, est mortalium, cui non hoc ab eo (naturae auctore) insitum sit, ut Deum esse perspectum habeat: quin ipsae quoque res creatae earumque conservatio ac gubernatio divinae naturae majestatem praedicant.* Quibus verbis cognitionem Dei, quam nobis insitam vocat, distinguit ab acquisita, quae per discursum ex aspectu creaturarum comparatur; ergo nostra cognitionis naturaliter insitae distinctio non tenet; praesertim quia alias omnes scientiae quantumvis difficillimae nobis secundo modo naturaliter insitae dici possent. *Conf. 1.* Sicut omnes naturaliter ac sine deliberatione appetimus beatitudinem, sic etiam naturaliter et sine discursu confuse cognoscimus possibile esse ac reipsa dari aliquid, cujus cognitione beati esse possumus: sed hoc a parte rei est solus Deus; ergo. 2. Insitum est a natura et notum per se etiam nobis, Deum esse colendum; ergo etiam sic notum est, Deum existere; quia propositio de tertio adjacente magis nota esse nequit, quam illa de secundo adjacente.

R. D. A. His verbis insitam Dei cognitionem distinguit ab acquisita Dei notitia, quae habetur per veram demonstrationem, et insuper non tantum Dei existentiam sed etiam essentiam ac perfectiones divinas clari exhibet, ut verba postrema manifeste indicant C. ab acquisita Dei notitia secundum existentiam duntaxat, eaque non per propriam demonstrationem sed facillimam et probabilem consequentiam accepta N. A. et Cons. Quia scientiae, praesertim in statu aliquo perfectiore, nec ab omnibus sed solum a paucissimis, nec facile atque discursu omnibus obvio, sed magno labore ac studio acquiruntur: cum e contrario Dei existentiae notitia minime operosa ratiocinatione et discursu facillimo ab omnibus ratione utentibus comparari queat.

*Ad Conf. 1<sup>am</sup>.* D. *min.* et naturaliter notum etiam omnibus est, sub hac ratione communi Deum contineri, seu illum conceptum cum Deo esse convertibilem N. non ita est notum C. Sic autem Deus non cognoscitur formaliter ac ut Deus, sed pure materialiter ac identice.

*Ad 2<sup>am</sup>.* R. D. A. Per se notum est, Deum esse colendum, si faciat haec propositio sensum hunc absolutum: Deus existit et est colendus N. quia sic est

propositio copulativa, de cuius prima parte hic controvertitur. Si faciat sensum conditionatum hoc modo : Deus, si existit, est colendus *C.* Sed inde patet quoque probationem additam intelligendam de propositione *absoluta*, minime autem de *conditionata*.

10. *Obj. II.* Nomine Dei intelligimus ens optimum ac perfectissimum, quo nihil melius est aut cogitari potest, ut patet ex communi omnium sensu ; sed per se notum est, quod ens ejusmodi existat ; quia ex terminis evidens est, existentiam esse aliquid perfectius et melius, quam non existentiam ; quod ipsum etiam de existentia reali probat S. ANSEL. in Proslogio c. 2. *Certe id, quo majus cogitari nequit, non potest esse in intellectu solo. Si enim vel in solo intellectu est, potest cogitari esse et in re, quod majus est : Si ergo id, quo majus cogitari non potest est in solo intellectu ; id ipsum, quo majus cogitari non potest, est quo majus cogitari potest : sed certe hoc esse non potest. Existit ergo procul dubio aliquid, quo majus cogitari non valet, et in intellectu et in re.*

R. Datis præmissis *N. Cons.* propter transitum sophisticum a sensu conditionato in præmissis ad absolutum in conclusione, non purificata prius conditione. Dictum enim in minore est nobis duntaxat *conditionate* per se notum, hoc nimirum modo : Ens perfectissimum, et quo melius cogitari non potest, existit physice, si est aliquid reale et non solum in apprehensione humana ; an autem sit quid reale ac physicum, an habeat tantum esse objectivum in nostra apprehensione, non est ante omnem discursum vel priorem alterius veritatis assensum nobis evidens. Similis fallacia occurrit in hoc *Syllogismo* : Nomine Trinitatis divinæ intelligitur pluralitas personarum perfectissima, et qua melius aliquid cogitari nequit : sed cuilibet sanæ mentis notum est, existere pluralitatem personarum perfectissimam, ut ostenditur iisdem rationibus ; ergo cuilibet per se notum est, Trinitatem divinam existere ; quod nemo unus adhuc dixit. Itaque R. *T. M. D. min.* Per se notum est, quod ens ejusmodi existat signate ac objective *C.* exercite ac physice. *Subd.* est per se notum in sensu absoluto *N.* in sensu duntaxat conditionato et ex hypothesi, quod ens ejusmodi sit reale ac possibile. *C. ad prob. D.* Ex terminis evidens est, existentiam vel objectivam vel realem esse quid melius *C.* existentiam realem *Subd.* esse quid melius conveniens optimo reali et exercito *C.* optimo tantum objectivo et signato *N.* Ex eo, quod quis concipiat Deum per modum entis optimi, solum sequitur, quod essentia Dei sic concepta involvat existentiam objectivam, quia totum objectivum non nisi partes objectivas, seu ejusdem status involvit.

Eadem responsio est ad argumentum ANSELM, cujus auctoritati oppono D. THOM. hic q. 2. a. 1. ad 2. *Dicendum, quod forte ille, qui audit hoc nomen Deus, non intelligit significari aliquid, quo majus cogitari non possit, cum quidam crediderint, Deum esse corpus. Dato etiam, quod quilibet intelligat, hoc nomine Deus significari hoc, quod dicitur, scilicet, illud quo majus cogitari non potest, non tamen propter hoc sequitur, quod intelligat id, quod significatur per nomen, esse in rerum natura, sed in apprehensione intellectus tantum. Nec potest argui, quod sit in re : nisi daretur quod sit in re aliquid, quo majus cogitari non potest : quod non est datum a ponentibus Deum non esse.*

*Inst.* Ista propositio : Ens pessimum, seu carens omni perfectione, non

existit, est per se nota ; ergo etiam per se nota est hæc : Ens optimum, seu carens omni imperfectione, existit ; quia contrariorum ex communi axioma eadem est ratio ac disciplina.

R. *Disp.* est 1. Quia nobis per se notum est idem non posse esse et non esse, ex quo evidenter infertur necessaria non existentia entis pessimi : e contra ens optimum existere non est nobis per se notum, neque ex principio per se noto infertur. 2. Quia bona est argumentatio a negatione potentiae ad negationem actus, non vero ab affirmatione potentiae ad actus affirmationem ; atque hinc etiam ad evidentiam propositionis negativæ evidentia repugnantiae sufficit, ad evidentiam vero affirmativæ, præsertim *esse physicum* asserentis, requiritur existentia realis subjecti, et de eadem evidentia hausta per cognitionem intuitivam, qualis de Deo in nobis viatoribus non datur.

11. *Observe.* Ex dictis facile colligi potest, quid de duplici argumento CARTESI, ad quod omnes illius pro Dei existentia allatæ demonstrationes reduci possunt, sentiendum sit. 1<sup>um</sup> est : Quidquid clare percipitur in idea alicujus rei, illud potest ac debet de ea re affirmari : atqui in idea Dei inclusa clare percipitur existentia ; ergo. 2<sup>um</sup> est : In nobis est idea entis infiniti, scilicet Dei : sed hæc idea nequit habere aliam causam, quam ens infinitum seu Deum ; tum quia infiniti representatio, qualis hæc idea est, ab ullo finito produci nequit ; tum quia hæc idea habet realitatem objectivam infinitam, ac proin etiam infinitam causam exigit ; quandoquidem causa debeat continere omnes effectus perfectiones. Verum utrumque argumentum supponit, dari in nobis ideam Dei ac infiniti velut entis vere possibilis, eamque innatam ac congenitam ; quorum primum Atheus negat, alterum autem inter Theologos etiam incertum ac dubium est. Præterea vero postremum argumentum non nisi merum sophisma est. Etenim hæc idea non est ipse Deus, ut opinatur MALEBRANCHIUS, sed Dei duntaxat representatio, cujus auctor et causa dicitur ac est Deus, et cujus esse in principiis Cartesianis consistit in mera modificatione mentis, ex se realitatis finitæ, ex representatione autem realitatis objectivæ infinitæ. Jam vero ad producendam hujusmodi modificationem representatricem requiritur et sufficit, ut causa habeat omnes proprietates ejusmodi modificationis, minime vero exigitur, ut etiam contineat perfectiones rei per modificationem representatæ, ut per se patet.

## ARTICULUS III.

## AN DEUM EXISTERE POSSIT DEMONSTRARI.

12. *Nota.* Demonstratio alia est *a priori*, quando aliquid probatur per suam causam, sive physicam sive metaphysicam : alia *a posteriori*, quando aliquid probatur per suum effectum itidem sive physicum sive metaphysicam. His Recentiores nonnulli addunt tertiam, *quasi a priori* vel *a simultaneo*, quando res probatur per suam essentiam aut prædicatum aliquod essenziale, quod neque causa sit, neque illius effectus : reliqui tamen communius negant, hanc esse propriam demonstrationis speciem, quæ videtur